

obedientia perseveretur ad finem. Magnificum hodie Academiae Nostrae Caput Excell. ac Maximè Venerandus DN. JOH. FECHTIUS, in Christo Pater, ac Collega Colendissimus, eruditè & pie disserit in Thes. ex univers. Theolog. Bibl. Select. part. I. Num. V. commendans scrutinium S. S. Literarum ad ductum dicti Pauli ad Timoth. II. Epistol. C. III. v. 14. *Tu vero permane in iis quæ didicisti &c.* Ostendit, inquit, Paulus, quanta divitiæ in sanctissimo Bibliorum Codice ad efficiendos, obtinendosque omnes eos, quos Ecclesiasticum requirit officium, usus, sint comprehensæ, cum Scriptura S. Divinitus inspirata; atque adeo Deum ipsum immediatum Auctorem habens, non aliter ac Epistola, à Magistro amanuensi in calamum dictata, utilis sit ad doctrinam in fide Christiana plantandam, & stabilendam, ad refutationem errorum quorumlibet cum hac fide pugnantium, ad correctionem vitiorum, morumque depravatorum, fidem & conscientiam vastantium, & ad manuuctionem in justitiâ, quâ deducere Ecclesie Minister gregem suum ad omne virtutum genus queat. Ut adeo homo DEI, quo incomparabili jucundissimoque titulo Ecclesie Minister à Spiritu S. mactatur, perfectus sit, in omnibus muneris sui partibus ad omne opus bonum, sive predicando id fiat, sive adhortando, sive consolando, sive vitæ Exemplo prælucendo, sufficienter instructus &c. Eleganter & Augustinus inquit: *Quid est Scriptura S. nisi quaedam Epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam, in quâ verbum Dei sonat, & cor DEI discitur.* Et rectè Petrus de Aliaco lib. 2. sententia scribit: *Scriptura S. est fidei Mensura, morum & errorum censura, & ad cælos viam monstrans cynosura.* Hinc Acutissimus, & quondam in Academia N. Theologus primarius, B. DN. JOH. GEORG. DORSCHÉUS, totus in eo fuit, ut ad huncce thesaurum eruendum, ad hanc mensuram, censuram, & cynosuram Auditores deduceret suos, testantibus scriptis suis eruditissimis. Ut autem memoria immortalis hujus Theologi apud nos semper sit nova, & in benedictione maneat, exemploque hujus Bellatoris Domini ad similem ardorem in cursu Academico incitentur & Nostræ Theologiae Commilitones, brevissimis, abs nonnullis rogatus, eam repetam ex Programme, quod Beat. M. Parens (qui olim optimum N. DORSCHÉUM, & Universitatis Rector, act. t. Decanus, cum ad nos Argentorato veniret, & in Matriculam Academiae, & in

finem